

1555

ro fuere. His certa sede parentibus, Rex in suis amplissimis ædibus, quæ prope templum, unde nomen fortiti sunt, sitæ erant, degere permisit: certa, quibus viverent cum tempora-ria, tum perpetua ab eo, ac Patriarcha beneficia tributa, ut itinera tuta peregrinis redderent, & latrones, ac grassatores pro viribus insectarentur. Novem annorum spatio cum in eo instituto perseverassent, anno M. C. XXII. Honorii Pontificis Maximi, ac Stephani Patriarchæ auctoritate ordinis formula est constituta, albus amictus assignatus; mox Eugenii Pontificis tempestate rubra crux addita. Res inde Templariorum in im-mensum crevere, immanes congestæ Christianorum pietate, ac munificentia opes, quamplurima oppida addita, magistratus creati, cum certa pecuniæ vis quotannis in peregrinorum sub-sidium ab iis Hierosolymam mitteretur. Verum ex optimis initiis pessima exempla oborta exitium ordini attulere. Anno M. CCC. XII. a Clemente V. sublatus, bona magna ex parte divi Joannis militibus attributa. Alteri ordini ex ambobus mixto, quod hospitio exciperet, & pro religione armis decer-taret, vir Theutonicus initium dedit, qui post Hierosolymam receptam in propriis ædibus Patriarchæ auctoritate divæ Geni-tricis, Virginis facello constituto, Germanis sacra invisentibus loca, xenodochium instituit. Hunc quoque insignes plerique viri sumpto cum atra cruce candenti amictu, nobilitarunt. Hi, Hierosolymis amissis, in patriam reversi, a Sarmatis vo-cati, ut eis contra irruentes barbaros auxilio essent, Prussiam, christianæ religionis hostibus pulsis, occupavere. Atque is or-do, licet Prussia amissa, viget adhuc, Maximilianumque, Rodulphi Cæsarialis fratrem, Magistrum temporibus nostris obtinuit.

Ceterum dissidia inter Paulum Pontificem, ac Cæsarem Phi-lippumque filium novos in Italia tumultus concivere. Ea licet tunc primum suboriri viderentur, jamdiu tamen etiam animis erupere, cum varias ob causas utrinque odiorum occulta se-mina alerentur, quæ jacta fuisse plerique dicerent, cum a Leone Decimo Sedis Apostolicæ nuntius ad colligendum beati Petri vectigal in Britanniam Caraffa missus, legatione per-functus, in Belgum ad Cæsarem profectus, eumque in His-paniam prosecutus, sua opera, si qua in re posset, delata, repulsam tulisset. Aucta vero, cum a Paulo tertio ad Nea-

Theutoni-
corū Equi-
sum origo.

Paulus
Pont. infen-
sus in Cæsa-
rem.

poli-